

9209
21
22
**DISSERTATIO IN AVGVRALIS
IVRIDICA
DE
PRVDENTIA LEGISLA-
TORIA IN PERMIT-
TENDIS DIVORTIIS**

QVAM
PRAESIDE
**GEORGIO FRIDERICO
KRAVSIO D.**

CODICIS PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO,
CVRIAE PROVINCIALIS CONSISTORII ECCLE-
STICI, SCABINATVS, ET FACVLTATIS IVRI-
DICAЕ ASSESSORE,

DIE XXII IUNII A. R. G. CICCLXXVIII.
PRO GRADV DOCTORIS RITE CAPESSENDO

PVBLINE DEFENDET

AVCTOR
IOANNES GOTTLLOB HENNIG,

CVNEWALDA LVSATVS.
IVRIS VTRIVSQUE CANDIDATVS ET ADVOCATVS
SAXONICVS IMMATRICVLATVS.

VITEBERGAE

EXCUDIT ADAMUS CHRISTIANUS CHARISIUS.

DISTRIBUTIO HUAGARIAE

1510

GRADUENTIA HEISI
TERRA IN PERM
TENEBIS DIVORTIUS

GEORGIO EKIDRICO
KRAVATO

CONVENTUS ETATIUS TERRA QD: DUCIT
CARTA TERRAQUA QD: DUCIT
STICZI SACRA VITAE TERRA TATIS VITAE
SIGNE AVITAS

ANNO XIXIUM KAROLICÆ XXXVII
IN TERRA DOCTORIS DE CIVITATE

CONVENTUS ETATIUS TERRA QD: DUCIT

2.

22



DE PRUDENTIA LEGISLATORIA IN DIUORTIIS PERMITTENDIS

§. I.

Prudentiae legislatoriae praefantia.

Quamuis sapientia principis in virtutibus ejus majestate dignis, praecepue merito suo numeretur, prudentia tamen debet semper cum illa conjungi, nisi velit spe vel optima excidere. Nam sapientia remedia praestantissima inuenit, prudentia inuenta apte adhibet, vt propositus rite obtineatur finis. Nihil autem praesidia prosunt, vel vtilissima, nisi loco idoneo, opportuno tempore, aliisque modis accommodatis, usurpentur. Etenim minima, quod vulgo dicitur, circumstantia rem variat, vt, nisi mentem animumque contuleris omnem, casuum expectatio similium te fallat. Sed tria in primis sunt, in quibus principis prudentia maxime versatur, in magistratibus idoneis creandis, condendis legibus et tollendis,

A 2

atque



atque in decernendo de bello ac pace ^{a)}). E quibus tribus partibus praesertim prudentia legum ferendarum valde est necessaria, quia bonis legibus salus Reip. firmatur, ut ARISTOTELES ^{b)} jure existimat. Leges enim sunt animae ciuitatum firmissimaque omnium societatum vincula, sine quibus neque domus, neque vrbes, neque regna feliciter conseruari possunt atque augeri. Obseruare sane per memoriam rerum euntibus licet, respuplicas non facile immutari, quam diu sapienter jussis sua vis et auctoritas constet, publicique ac priuati moris honestas studiose retineatur. At vbi paullatim neglectui esse incipiunt hae sanctiones, a paruis quoque momentis ad maximas mutations aut perturbationes proceditur. Est igitur principis, animum ad cauendum attendere, ne leges consilio praeципite componat, grauiores praesertim, atque ab ingeniis hominum subjectorum alienas, vnde inter summum imperantem et populum non possunt offendes non oriri. Injuria sane fit vniuersis, si praeter alias, leges, quae fundamentales dicuntur, inuito populo, neque vlla cogente necesse, subuertuntur. Nouitas interdum, vt in corpore naturali, sic in ciuili, periculosa reperitur. Illud autem caput est consilii publici, vt leges iis, quibus imponuntur, conueniant, ne cum natura bellum geratur, semper exitiosissimum. Quilibet enim populus, sicut moribus differt, sic ingeniis, refreshendis illis quidem atque emendandis, nunquam funditus extirpandis. Proinde in legibus instituendis, ne medicina mo-

dum

^{a)} DIONYS. HALIC. Lib. 4. c. 28,

^{b)} Lib. 1. rhetor. c. 4.

2.

22

dum excedat, imbellicitatis humanae ratio habeatur, et semper causae, quare modo rigidius, modo leuius tractandi sint animi, inquirantur. Alias enim nocent severitate imperantes, vel indulgentia, cum prodesse student^{c)}). Plura de prudentia legum figendarum nunc afferre nolo, quae quam late pateat, exemplo Dei summi legislatoris ac sapientissimi, illustrata, ne ruose complectitur **MICHAELIS^{d)}** vir illustris doctrinae.

§. II.

In legibus matrimonialibus prudentia legislatoria admodum necessaria.

Quod si qua in re, tam graui, quam suspiciosa, bene moderanda, vigilare legislatoris prudentia debet, matrimonii conformatio eam potissimum requirit. Est enim illud seminarium ciuitatis quo conseruatur ea, et propagatur, quia, sicut e corpore partes decedunt, ita ciues morte abeunt, per contingia supplendi. Hac igitur societate, quae corpora animosque arctissima conjungit amicitia, inter homines impedita, aut sublata, dici non potest, quanta perturbatio sequatur, quamque cito hominum sit communio finem habitura. Quam calamitatem sicut acriter Romani senserunt, ita, quantum momentum conjugium trahat, non ignorarunt. Namque **LIB. VIO^{e)}** auctore, *res Romana adeo erat valida, ut cuilibet finitimarum ciuitatum bello par esset.* At hae tantae opes quo magis creuerant, eo majorem metum incutiebant, ne bre-

A 3

ui

c) *Illustris HOMMELIVS in Rhaps. Iur. Obs. 330.*

d) *Mosaisches Recht, 1ter Theil, §. 8. p. 23. sqq.*

e) *Lib. 1. c. 9.*



ui se ipsae consumerent. Quam formidinem Liuius pulchre,
causis interpositis, nudauit. *Penuria mulierum, hominis
aetatem duratura magnitudo erat, quippe quibus nec domi
spes prolis, nec cum finitimi connubia essent.* Nec
temporibus insequentibus gens Romana tantae rei curam di-
misit, prioris non immemor angustiae. Quod ex antiqua
formula, *coelibes esse prohibento*, satis appetet^{f)}. Quare
Camillus et Postumius censores, aera, poenae nomine, eos,
qui ad senectutem coelibes peruererant, in aerarium deferre
primi jusserunt. Nomen mulctae *FESTVS*^{g)} declarat uxori-
um peperisse, qui, quod uxorem non habuerit, aes po-
pulo dederit. Mitius c. CAESAR conjugii dignitati confu-
lendum putauit, dum, bello Africano, nudatam ciuibus vr-
bem, liberalitate subleuauit. Quod prudenter consultum
DIO CASSIVS^{h)} commemorat, vbi leges ab ipso lancitas,
memoria digniores, collegit, exhausta immane quantum Ro-
mae frequentia, propter eorum, qui ceciderint, multitudi-
nem, quam censu facto, ipsoque conspectu, senserit, iis, qui
multos liberos procreassen, praemia proposuisse. Caesaris
autem incepta noua auctoritate firmauit AVGVSTVS, auctor
legis celeberrimae, de maritandis ordinibus. Nihil opus est,
capitibus legis immorari, postquam HEINECCI ingenium ac
literae omnium diligentiam superarunt, in commentario ad
eam locupletissimo. Magis operae pretium videtur, ex ora-
tione

f) c. 1 c. de Leg. III. 3.

g) De verb. signif. XX. p. 596.

h) DIO XLIII. c. 25.

2.

22

7



tione Imperatoris¹⁾) ad equites, quorum maior numerus ex-
pers thalami vixerat, pectus illius disertum ipsa doloris vehe-
mentia ostendere. Reuocat illis in memoriam maiorum stu-
dia in nuptias, quibus mortalem naturam immortalem mutua
successione efficerent. Ostendit prouidum numen, quod se-
xu discernendo, concedenda fecunditate, hominum perpetui-
tatem seruet. Percenset utilitatem matrimonii in gloria ac bo-
nis, ad posteros transmittendis. Describit pulchritudinem
coniugis pudicae, et consuetudinem vitae amoenissimam, ac
dulcedinem educationis liberum. Haec priuata. Publica ani-
mum principis acrius pellunt, verbaque exprimunt, digna,
quae, Latine concepta, repetantur. Reipublicac vtile ac ne-
cessarium, multitudinem esse hominum, quae in pace terram
colat, quae nauigationes opportune exerceat, quae artes et
opera tractet, quae in bello promptior sit, generis sui causa,
ad res tuendas, et ex qua in amissorum locum alii possint sub-
stitui. Nolo plura, quibus in matrimonii contemtores inve-
hitur ille. Satis enim haec monita atque exempla prudenti-
sum quemque principem monent, ut societatem hanc sal-
uam incolumemque tueatur. Quae prudentia, in quo ver-
setur, sic aperiam in permittendis diuortiis, vt praefultis no-
tionibus normas illius, quas sequatur, indicem, grauissima-
que diuortii causa illustrem. Caeteras causas in aliud tempus
commodius differam.

§. III.

DIO LVI. c. 2.



III.

Definitiones necessariae ac diuisiones.

Vt intelligatur, quid sit illud, de quo disputetur, Cicerone monitore a definitione ordiamur. Diuortium in proprio significatu consideratum, est dissolutio matrimonii, ab initio validi, conjugibus adhuc viuentibus, justa ex causa rite facta. Voci diuortii quae sit origo, inter homines eruditos non est parua dissensio. Existimante PAVLLO, Iuris Consulto^{k)} dictum ideo, quod in diuersas partes eant, qui discedunt. *cato^{l)}* a diuersitate mentium nomen accepit; aliis a diuertendo, aliis per translationem a diuortio aquarum, rerumque similium. Recte MENAGIVS^{m)} relicta Caji longius petita notatione ad Paullum accedit. *A diuorto diuortium, ut a deuorto deuortium, et deortum, unde dortium Turpilii apud Nonium; diuortium est discessio.* Sicut enim mulieres nubentes ducebantur domum mariti, sic, matrimonio soluto, domo viri exibant ipsae, vel expellebantur. Iam Menagius subjungit, *ab aquarum diuortiis, ex uno, jugo recurrentium, vocem Ciceronem ἐτυμολογίζειν*, scripsit hoc loco Scipio Gentilis, quod unde habuerit, nescio. Videtur autem hunc respexisse locum, *vbi CICEROⁿ⁾ ad Atticum scribit: inde ad Amanum contendit, qui Syriam a Cilicia in aquarum diuortio dividit.*

Eadem formula^{o)} alias vti-

k) L. 191. ff. d. V. S.

l) L. 2. ff. d. diuort. et repud.

m) Amoen. Iur. Civ. c. 39. p. 279.

n) Lib. V. epist. 20.

o) Lib. II. epist. 10. ad diners.

tur, Amanus mons mihi cum Bibulo communis est, diuisus aquarum diuortiis. Aquarium enim diuortium sit, cum diuiduntur. Inde CICERO²⁾ vocem ad dissidia transfert animorum, haec, ut ex Apennino fluminum, sic ex communi sapientum jugo, sunt doctrinarum facta diuertia. Grauiore vocabulo Hebrei, apud quos antiquitus diuortium in usu fuit, ut e DEVTERONOMIO³⁾ perspicitur, illud afficiunt, ducto a verbo quod scindere significat, libellumque rescissio- nis dicunt quod viri et vxoris commune vinculum dirimat. Haec hactenus de voce diuortii. Res ipsa optimè intelligi- tur e comparatione diuortii cum repudio, quod ad dissolutio- nem sponsaliorum attinet. Evidem non ignoro, repudium nonnunquam laxius accipi, ut diuortium quoque complecta- tur; accuratiores tamen repudium a diuortio secernunt. PAULVS.⁴⁾ vxorem missa repudio diuortisse, scribit; et VLPIA- NVS.⁵⁾ repudiatae vxoris meminit; idem facit PAPINIANVS.⁶⁾ MODESTINVS⁷⁾ autem diuortium inter virum et vxorem fieri dicitur; repudium vero sponsae remitti videtur. Quod vero addit; quod et in personam vxoris haud absurde cadit, indicare voluit, sibi, superiorum Iuris Consultorum sententiam probe fuisse cognitam, aliter judicantium, neque

famen

p) De orat. Lib. III. c. 19.

q) Cap. XXIV. v. 1. sqq.

r) L. 3. ff. d. diuort. et repud.

s) L. 4. ff. d. diuort. et repud.

t) L. 39. ff. solut. matrim.

w) L. 10. f. 1. et L. 19. ff. d. V. S.



tamen ob reuerentiam iis debitam, refutare eosdem aperte voluisse. *Nec TERENTIVS*^{*)} proprietatis studiosissimus, hoc discrimen neglexit, apud quem Chremes: *illis, inquit, repudium renunciet, hanc ducat.* Sicut autem diuortium ac repudium reapse discrepant, sic etiam formulis solemnibus distinguuntur. In diuortiis frequentata est dictio: *Res tuas tibi habeto.* Item haec: *res tuas tibi agito, et aliae generis ejusdem.* In sponsalibus disjungendis placuit, renunciacionem interuenire, hanc in sententiam: *conditione tua non vtor.*^{*)}

Quingentis autem annis^{*)} fere post Romam conditam, nullas rei vxoriae neque actiones neque cautiones in vrbe Romana fuisse, memoriae traditum narrat *GELLIVS*^{*)} quia nihil desiderabantur, nullis etiam tunc matrimonii diuertentibus. Primus, eodem Gellio teste, in vrbe diuortium fecit cum vxore ob sterilitatem Sp. Caruilius Ruga, anno ab vrbe condita *XXXIII.* Marco Atilio et P. Valerio Consulibus. Nec vero sine grauissima causa conjugii sanctitatem migrauit. Nam cum dimissam vxorem maximo prosequeretur amore, morum ejus suauitate captus, animo et charitati

juris-

x) Phormion. aft. 4. Sc. 3. v. 72. sq.

y) GAIUS in L. 2. §. 1. 2. ff. d. diuort. et repud.

z) Quod alii ad quingentos viginti tres annos extendunt. Secundum alios intra sexcentos annos nullum apud Romanos reperiri diuortium testatur. SELDENVS de uxore Ebraea lib. 3. c. 19. conf. etiam CVIACIVS obs. 1. c. 39. Tandem alii interuallum illud faciunt trecentorum et triginta annorum.

**) In Noft. att. lib. 4. c. 3. et VAL. MAX. lib. 2. c. 1.*

jurisjurandi religionem praeuertit, jurare a censoribus coactus, se liberorum quaerendorum gratia habiturum. Exemplo semel monstrato, libido non constitit, vbi cooperat, sed latius euagata, causas saepe insulsas ac leues quaesuit vxoris destituendae. Quo sit licentia progressa, ab SENECA^{b)} accipiamus. Is probaturus, pudorem rei tollere multitudinem peccantium, e conjugorum perturbatione documentum sumit. Num quid jam villa repudio erubescit, postquam illustres quaedam ac nobiles feminae, non consulum numerro, sed maritorum, annos suos computant. Quae temeritas est publica potestate refrenanda, cuius causa diuortium diuiditur in publicum et priuatum. Illud fit auctoritate summi imperantis, hoc voluntate priuatorum. De priori forma hic in primis agimus, quamvis posterior apud Iudeeos praeципue aliasque gentes orientis obtinuerit, moribus nostris merito rejecta. Sed permissio quoque consideranda videtur, quia de permittendis diuortiis agimus. Haec est non impenitio actus, ad quam leges permissuae pertinent. Hae vocantur leges, quea actum non impediunt, v. c. leges diuinæ V. T. de polygamia ac diuortiis. De legibus permissiis parum subtiliter sicut disputatum, vtrum leges proprie debeant appellari, quia non obligent. Quamvis enim, neminem obstringant ad actum suscipiendum, retinent tamen alios ab actione impedienda, de quo acute GROTIUS^{c)} praecipit. Permissio proprie non actio est legis, sed actionis negatio, nisi

B 2

qua-

^{b)} *De benefic.* lib. 3. c. 16.

^{c)} *Lib. I. §. 9. n. I. de I. B. et P.*



quatenus alium ab eo, cui permittitur, obligat, ne impedimentum ponat. Idem vir summus^{d)} utilissime permissionem diuidit in plenam, et minorem plena. Illa est, quae jus dat ad aliquid omnino licite agendum, haec, quae tantum impunitatem dat apud homines et jus, ne quis alias interuenire licite possit.

§. IV.

Norma hujus legislatoriae prudentiae prior jus naturae.

Cum vero jus naturae, diuina quadam prouidentia constitutum, semper firmum atque immutabile permaneat, quid illi conueniat, merito prudentia legislatoria magna cum industria perquirit. Est enim cum ratione ipsa arctissime copulatum, quae illud ex ipsa hominis natura atque indole perspicit, aeternasque leges complectitur, quibus hominum saluti diuina consuluit sapientia. Sed hoc ipsum jus postulat, ut conjugium quod societatem simplicem maris cum femina procreationis, educationis, et mutui auxilii causa initam, continet, sit perpetuum, nec facile, nisi alterutrius partis morte finiatur. Quod finis matrimonii conjugibus omnibus imperat, non in sobole modo procreanda positus, cuius multitudo inutilis genus oneraret humanum, sed etiam educanda, quod poscit longam curam. Instinctus certe animantium ipse tam sollicitam monstrat operam, quae non prius dissociantur, quam progenies ipsa se potest alere. Est enim CICERONE^{e)} judi-

ce,

^{d)} Lib. I. §. 17. n. 2. de I. B. ac P.

^{e)} Lib. I. de offic. c. 4 add. L. I. ff. §. 3. d. Iust. et jur.

ce, commune omnium animantium, conjunctionis appetitus procreandi causa, et cura quaedam eorum quae procreata sunt. Longe vero studiosius hunc acrem impetum an quisuit REIMARVS^{f)} ostendens simul, animantes necessitatibus magis prospicere progeniei, quam commoditati ac jucunditati, et quid inde hominibus discendum sit, grauiter inculcat.^{g)} Sed inter homines atque animalia hoc interest, quod haec celerius a prole discedunt, illi diutius tanto negotio seruire debent. Nam quo nobiliores sunt animi facultates, quo praestantior corporis conformatio, quo fines societatis humanae ampliores, eo longius tempus hominis cultura poscit, quo finito, eo aetatis, conjuges prouehuntur, ut nouum matrimonium moliri commode non possint. Fac liberos non procreari, mutuum tamen adjumentum, quo alter conjugum alterius vires augere, alter alterius commoda juuare debet, in senectute maxime necessarium, hoc imperat. Ideo QVINCTILIANVS^{h)} sic mares inquit, feminis junguntur, ut imbecillior sexus praesidium ex mutua societate sumat. Relinquitur, ut jure naturali, per se spectato, maris et feminae coniunctio dissolui ante mortem non debeat. Noli dicere matrimonium, tanquam pactum, quod solo consensu contrahatur, mutuo posse dissensu tolli, secundum illud VLPIANIⁱ⁾ nihil tam naturale est, quam eo genere quiduis dissoluere,

B 3

quo

f) Von den Trieben der Thiere, §. 74. p. 122.

g) ibidem §. 156. p. 406. sq.

h) Declam. 368.

i) L. 35. ff. d. R. I.

* * *

quo colligatum est. Recte enim praecipiunt juris diuinpi humanique doctores, hanc sententiam hoc limite finiendam, nisi damnum tertio contrahatur. Liberis enim hanc dissociationem nocere, jam Imperatores THEODOSIVS ET VALENTINIA. NVS^{k)} satis intellexerunt, quorum legibus solutio matrimonii difficilior debet esse fauore liberorum. Quare MONTES. QVIVS^{l)} in Spiritu legum simpliciter statuere non debuit, in diuortio naturae consentaneo, aut partes ambas consentire, aut saltem vnam, debere, quia, si neutra conspiret, illud in monstris iure numeretur. Neque Romani^{m)} hoc satis ponderarunt, filiae diuortium arbitrio patris relinquentes, quamvis ille antea nuptias probarit. At haec licentia, quae matrimonii disiunctionem arbitrio tertii mero permittit, valde iniqua, atque legi naturali plane contraria videtur.

§. V.

Norma posterior prudentiae legislatoriae monimenta diuina.

Quoniam de principiis christiani prudentia leges ferundi agimus, optimum factu putamus, cum ratione tabulas sacras in subsidium vocare. Fragilitas enim rationis hic maxime cernitur, quae libidinibus obscurata, modum petulantiae non seruat. Nec vero gentes, barbaria efferatae, modo cupiditatibus nimium seruerunt, sed etiam Graeci Romanique eo progressi sunt

k) L. 8. C. de repud.

l) p. 801.

m) L. 5. C. de repud.

sunt foeditatis, vt, nisi ipsorum testarentur historici ac poetae, maxime Satyrici, improbisissimae voluptates incredibiles videantur. Vel sola polygamia quantopere coniugii iura perturbavit, quae orientis gentes peruagata, Romanum quoque tandem infecit. Nam M. Antonii intemperantia insatiabilis cum duabus vxoribus simul pactum coniugale iniit, auctore PLV TARCHO.ⁿ⁾ Deinde Caesar dicitur consilium cepisse, eandem lasciuiam spargendi latius. *Cinna enim, tribunus plebis, plerisque confessus est, habuisse se scriptam paratamque legem, quam Caesar ferre jussisset, cum ipse abesset, uti uxores liberorum querendorum caussa, quas et quot vellet ducere liceret.*^{o)} Quod si vir, rationis cultura nemini facile secundus, impetu portuit sensuum abripi tantopere, quid non alii facient hebetiores. Nihil igitur sapientius, quam diuina placita, quibus rationi lumen redditur, sequi. Noli enim existimare coniunctionem maris cum femina in se et sua natura nihil aliud esse nisi negotium mere ciuale atque humanum, qui contractus curae principis relinquatur, emolumenatum Reip. ac decus tuendum. Imo vero matrimonium altiorem habet originem instituti diuini, quam primus veteris testamenti liber aperit.^{p)} Hic enim Deus mulierem, ex Adamo creatam, ad illum iussit eo consilio accedere, vt, progenie dignenda, terram replerent vacuam, hac addita sententia gravissima, patre ac matre in posterum relixis, suae quisque adhae-

ⁿ⁾ *In vita Anton. in fin.*

^{o)} SVETONIVS *in vita Caesaris c. 52.*

^{p)} Gen. 2. v. 22. sqq.



adhaerebit vxori atque in vnum corpus coalescent. Hic officia coniugum vel pietati erga parentes praeferuntur, ob coniunctionem arctissimam, qua in vnum duo conflantur. Sed postea Iudaei consuetudinibus gentium finitimarum induiti, ab hoc consilio diuino discesserunt, priuatumque, leuissimis saepe de caussis, coniuges exire domo voluerunt. Deus autem duritia animorum insanabili permotus, permisit hanc licentiam, legibus tamen restrinxit, ne coniugi et liberis damnum inferretur. Tandem Seruator generis humani non cæteras solum veteris instrumenti tenebras dispulit, verum etiam disciplina castissima mares ad omnem humanitatem formauit. Is certius, plenius, grauius, antiquas leges interpretatus, in pristinum coniugia restituit, ac diuortiis hominibus interdixit. Quod interdictum cum discipulis inculcauit, tum Phariseis, ea de causa interrogantibus, data opera explicatum probauit. Cardinem disputationis in ipsis matrimonii incunabulis vertit, et, quomodo illud Deus in genus humanum inuexerit; sic monstrat, vt generali lege vinculum eius perpetuum imperet, quod Deus coniunxit, nemo separato. Hic sane magna certitur præstantia religionis christiana, quae tam castum matrimonii sanctitati ac perpetuitati cavit²⁾. Quanto sanctius princeps christianus illam merito seruat, neque vñquam memoria dicit, in diuinitus copulata hominum temeritati nihil licere.

Re-

q) *Ex instituto hoc pertractauit de ROEHR. Groning ICus in diff. De effectu religionis christiana in Iurisprudentiam Romanam: ubi Fas. I. Diff. 6. de effectibus religionis christiana in leges nupciales studiose disputauit.*



Relinquitur, ut et ratio et reuelatio, sine maxima necessitate,
diuertia concedere videntur.

§. VI.

Principia permittendorum diuertitorum.

Sed haec, quae Deus per rationem et scripturam sacram
iussit, facilius intelliguntur, quam semper exacte perficiuntur.
Viuimus enim non cum perfectis hominibus, quorum infirmi-
tati, hic aliquid nonnunquam dandum est, ne malum grauius
nascatur. Quod vt principis prudentia recte moderetur, hacc
fundamenta iacienda videntur. Quicquid fines matrimonii
prorsus tollit, illud etiam dissoluit. Nam, ratione duce, fi-
ne cessante, cessat actio, quod, si quid agimus, bonum spe-
ctamus, siue sit verum, siue opinatum, quo obtento, vel
prorsus impedito, actionem intermittimus. Hic finis ma-
trimonii primarius procreatio sobolis atque educatio maxi-
me mouet. Neque enim cum illis facimus, qui matrimonii
sine proposito liberos procreandi legitimum statuunt, ex-
stinctionem libidinis anteponentes. Quis homo probus sumit
cibum vnice propter voluptatem edendi, insitam homini,
quo diligentius viustum comparet, eoque vitam et corpus
tueatur. Itaque pactum matrimonii, quod ad inanem vol-
ptatem satiandam initur, naturali legi non est conueniens,
quae vult vt homines sobolem gignant, ad hominum genus

C

propa-



propagandum. Nam Deus stimulos nobis admouit, vt incitamenta essent honestae propagationis, qui finis princeps est matrimonii, in ipsis tabulis sacris ^{*)} a Deo imperatus. Idem formula Romana, *liberorum quaerendorum gratia vxorem ducendam*, comprobat. Quem finem praecipuum consecuti coniuges, in educationem liberum curas omnes conuertunt, semper illius memores, quod superiore loco de huius officii necessitate praeceperimus. Sed quo facilius feliciusque et generatio et educatio succedat, vires inter se communicent, vt, quod vni deest, alter sarciat, coniunctisque studiis, coniugii salus prouehatur. Quicquid igitur impedimenta non superanda generandis liberis, atque ad omnem honestatem conformandis obiicit, omnisque vitae consortionem penitus tollit, diuortio materiam iure praebet. Deinde natura pactorum perquiratur, quo, quid matrimonia dirimat, liquidius appareat. Est enim coniugium pactorum numero, quippe quod mutuo promisso continetur de consociatione in eadem familia, deque mutuo corporum vsu sic praebendo, vt alii omnes ab eodem excludantur. Iam nemo dubitat, quin naturali sit consentaneum iuri, vt, si alter fidem pacti non seruet, alter eodem non teneatur. Sublata enim pacti causa, tollitur pactum, causa vero pacti in mutuis promissis implendis reperitur. Si quis igitur pacientium fidem deserit, alter sine perfidia suis quoque pro-

missio-

^{r)} GEN. I. v. 28. MATTH. 19. v. 5.

missionibus deest. Hic sane quam fuit iniqua Iudaeorum con-suetudo, apud quos marito licebat vxorem iubere foras egre-di, vxoribus facultate negata, sponte a viris diuertendi. Ac quiiores leges Romanae se praestant, paria iura vtrique coniugi concedentes. Quae cum ita sint, quicquid pactum matrimonii ita violat, ut omnis simul spes, obtainendorum porro finium matrimonii interuertatur, ad causas permittendorum diuortiorum pertinet, quem etiam in censum merito venit ma-litiosa desertio, si desertor contumacia pertinaci media, ad officium cum reducendi, improbe eludat, et efficacia sua prorsus destituat. In omnibus denique legibus quamlibet odi-osis, velut iis quibus poena irrogatur, receptum videmus, vt, vbi eadem est ratio, ius idem seruetur. Sunt enim vitae ca-sus humanae innumerabiles, neque legibus possunt omnes comprehendendi. Quid igitur rationi magis consentaneum quam similia inter se se conferre, et similium similem habere ratio-nem. Quibus principiis omnibus collatis, facili negotio videbitur, qua cautione diuertia, indulgenda sint, vel deneganda.

§. VII.

Exemplum illustrans.

Sed ea, quae diximus, lumen aliquod exemplorum de-fiderant. Apud Hebreaos¹⁾ maritis, vti iam supra demon-strauimus.

¹⁾ DEUT. XXIV.



strauimus, diuertia, moribus quibusdam interuenientibus, permitta fuisse, non minus e legibus diuinis cognoscitur, quam ex IOSEPHO.¹⁾ Tantum de eo dubitatum fuit, num ob quodcunque fastidium diuertere ab vxore liceret, an tantum ob iustum et grauem causam, eamque cum turpitudine coniunctam. Due certe scholae, quod SELDENVS obseruat, inter se vehementer dissenserunt, Sammaea atque Hilleiana. Illa non nisi maiorem causam interponendam censuit, haec indulgentior maritis, quicquid displicere poterat, concessit. Cumque Pharisei plerumque Hilleianorum opinioni adhaererent, quamvis minus sanae ac profligatae, factum est, ut de eadem causa a Phariseis interrogatus seruator, in locis celebratissimis²⁾ seueriorem sententiam haud obscurè approbaret,³⁾ vbi sapientissime causam diuortii disceptauit. Nam quicunque, inquit, dimiserit vxorem παρεντός λόγια πογύειας, h. e. excepta stupri causa, facit, ut ea adulteret. Adeo Christus diuertia licita negat esse, nisi libido intercesserit. Nam vox πογύειας, aeque ac latina stuprum, sicut e lege Iulia⁴⁾ de adulteriis perspicitur, et scortandi flagitium significat, et adulterium. Itaque duo crimina complectitur auctor salutis nostrae, quorum alterum ab vxore ante coniugium poterat

1) antiquit. Iud. lib. XV. c. 2.

2) MATTH. XIX. v. 9. MARC. X. v. 2-9. coll. MATTH. V. 31.

3) SELDENI. vxor. Hebr. lib. III. c. 18. sqq.

4) PAPINIANVS in L. 6. §. 4 ff. de adult. coercend.

terat committi, quando cum alio rem iam habuerat, alterum
in ipso matrimonio per adulterium. Hic iure illius sapientiam
atque aequitatem veneramur, qua petulantiam sic refrenauit,
ut naturae legibus auctoritatem seruaret. Nam si, sponsa se
pro virgine venditavit, nec tamen fuit pudicitiae virginalis,
decepit sponsum, qui ita dolose ad consentiendum in foedus
coniugale inductus est, cuiusmodi dolo elicitus consensus me-
rito pro nullo habendus. Quapropter iusta de causa do-
mo pellitur. Si fuit adulterium admisum, hoc educationi
liberum obest, quod pater filium negligit, quem se non gene-
rasse credit, et vxor ita fidem violauit coniugalem, ut maritus
ab eius vltiore confortio abhorreat, eaque perfidia mari-
tum ab officiis mutuis sibi praestans, liberavit. Sic ratio
nihil habet, quod in Christi sententia desideret. Sed iam quae-
stio incidit ardua, num praeter hanc causam sint aliae diuortii
fusciendi. Hic enim nonnulli sunt rigidiiores, neque ullam
causam aliam volunt addi, alii frena nimis laxant, casusque
complures excipiunt. Nunc vero neque libet, neque vacat
per ignes cineri suppositos ire. Forsan dabitur alio tempore
occasio hunc locum perplexum altius percontandi.



§. VIII.

*Prudentia legislatoria in diuortiis permittendis
in legibus Saxonici conspicua.*

Ceterum prudentiae legislatoriae in legibus ad diuortia pertinentibus insigne praebent exemplum iura nostra Saxonica; Siquidem cum gloria sempiterna Nouemviri Saxoniae sapientissimi legibus cauerunt, vt hodienum plures causae, praeter adulterium et malitiosam desertionem in permittendis diuortiis non admittantur, ita tamen, vt adulterium *) non praecise consummatum esse debeat, sed sufficiat iam attentatum, *) malitiosa vero desertio b) merito iungitur ex ea,

quam

a) WERNH. Diff. de diuortio ex nulla alia causa, quam adulterio conceundo.

a) Illa sententia non mode in DEC. SAX. REG. XXXIV. DE ANNO 1746. conceperis verbis est confirmata, sed eriam ad crimen Sodomiae quod quis molitus ac postea confessus est, extensum in RESCRIFT. ad Dicasteria d. s. Sept. 1761. daro; Nachdem nun unsers Willens Meynung dahin gehet, daß auf gleiche Weise, wie bereits in Ansehung eines gestandenen, aber nicht vollbrachten Ehebruchs, Inhalts 34ren Decis. de anno 1746. verordnet, also auch in crimine Sodomiae, wenn ein Ehegatte dergleichen begangen zu haben geständig ist, jedoch dabei, daß solches nicht gänzlich vollbracht worden, beharrer, nichts desto weniger der unschuldige Theil auf sein Verlangen von demselben geschieden, und die Ehe aufgehoben werden soll. illustris HOMMEL. Rhaps. Iur. Obsl. 229.

b) MENCKEN in diff. Sana de iure Principis euangelici circa diuorcia doctrina, cuius opinio, diuortium tantum licitum esse in duobus casibus

in

quam superiore loco §. VI. adduximus causa. Nullum præterea aliud delictum, ab alterutro coniugum commissum, ut furtum, homicidium, neque plagium, aliaque quibus matrimonii natura non tollitur, idonea iure nostro causa est, matrimonii vinculum disjungendi.^{*)} Quibus limitibus circumscriptis, dubitandum non est, quin sanctitati matrimonii prudenter consulatur, et a libidine vaga, ac violatione fidei coniugalnis, permulti coniuges absterrantur.

in iure diuino fundatis, nempe adulterio, in quo innocens pars facit diuortium ex MATTH V. v 32. et malitiosa desertione a PAVLLO haud obscure probata i. Corinth. VII. v. 15. apud nos plene est comprobata. Thes. II. §. 2. 3. sqq.

- c) CARPZOV. in Iurisp. Confist. Lib. 2. Tit. II. def. 203. et 204. n. 1. 2. SCHILTER lib. 2. Inst. Iur. Can. Tit. 12. §. 3. sq. NICOLAI de Republiis et diuortiis P. II. c. 1. n. 24. et 25.



Multo q[uod] est in libro IV. & o[mn]is etiam q[uod] est in libro V.
et q[uod] est in libro VI. q[uod] est in libro VII. q[uod] est in libro VIII.
q[uod] est in libro IX. q[uod] est in libro X. q[uod] est in libro XI.
q[uod] est in libro XII. q[uod] est in libro XIII. q[uod] est in libro XIV.
q[uod] est in libro XV. q[uod] est in libro XVI. q[uod] est in libro XVII.
q[uod] est in libro XVIII. q[uod] est in libro XIX. q[uod] est in libro XX.
q[uod] est in libro XXI. q[uod] est in libro XXII. q[uod] est in libro XXIII.
q[uod] est in libro XXIV. q[uod] est in libro XXV. q[uod] est in libro XXVI.
q[uod] est in libro XXVII. q[uod] est in libro XXVIII. q[uod] est in libro XXIX.
q[uod] est in libro XXX. q[uod] est in libro XXXI. q[uod] est in libro XXXII.
q[uod] est in libro XXXIII. q[uod] est in libro XXXIV. q[uod] est in libro XXXV.
q[uod] est in libro XXXVI. q[uod] est in libro XXXVII. q[uod] est in libro XXXVIII.
q[uod] est in libro XXXIX. q[uod] est in libro XL. q[uod] est in libro XLI.
q[uod] est in libro XLII. q[uod] est in libro XLIII. q[uod] est in libro XLIV.
q[uod] est in libro XLV. q[uod] est in libro XLVI. q[uod] est in libro XLVII.
q[uod] est in libro XLVIII. q[uod] est in libro XLIX. q[uod] est in libro L.

q[uod] est in libro LI. q[uod] est in libro LI. q[uod] est in libro LI.

q[uod] est in libro LI. q[uod] est in libro LI. q[uod] est in libro LI.


ULB Halle
002 265 427

3



(f) 56.





9209
21
1778 5.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA DE PRVDENTIA LEGISLA- TORIA IN PERMIT- TENDIS DIVORTIIS

QVAM
PRAESIDE
GEORGIO FRIDERICO
KRAVSIO D.

CODICIS PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO,
CVRIAEC PROVINCIALIS CONSISTORII ECCLESIA-
STICI, SCABINATVS, ET FACVLTATIS IVRI-
DICAEC ASSESSORE,

DIE XXII JVNII A. R. G. CICCIJ CLXXVIII.
PRO GRADV DOCTORIS RITE CAPESSENDO

PVBLINE DEFENDET

AVCTOR
IOANNES GOTTLLOB HENNIG,

CVNEWALDA LVSATVS.
IVRIS VTRIVSQVE CANDIDATVS ET ADVOCATVS
SAXONICVS IMMATRICVLATVS.

VITEBERGAE

EXCUDIT ADAMUS CHRISTIANUS CHARISIUS.